

r. 6, § 4, n. 8, et § 6, a n. 14: Gobat, in *Exper.*, tract. 3, n. 514, addens, n. 515, idem esse de obligatione anniversariorum, officii defunctorum, eleemosynæ, etc.; La Croix, l. iv, n. 852, testans ex Tusch. litt. S, conclus. 424, n. 9; et Corrad., lib. 1, cap. 6, n. 324, hanc sententiam secutam esse Rotam. Et ratio potissima inter alias, quas afferunt apud La Croix, *loc. cit.*, est, quia fundatio et beneficium admittunt præscriptionem, cap. *Cum de beneficio* 5, *De præbend.* in 6, et *ibid.*, Glossa, Anchar., Franch., Silv., Hom., Barb., n. 4; Rebuff., in *Prax. benef.*, tit. *Regularia benef.*; insuper Gobat et alii in principio cit. putant sufficere ad id inter præsentis, annos 20, et inter absentes, 40: requiri tamen 40 annos docet Pasqual., q. 4193, quia agitur contra Ecclesiam. Hos autem sufficere tenent Glossa aliique cum Barbosa, *loc. cit.*, n. 5; Gonzal., ad regul. 7, *Cancellariæ*, gloss. 7, n. 8 et 25; Tusch., litt. R, conclus. 524. Et successor in beneficio potest, ut dicit Dicastill., *De justitia*, lib. II, t. 1, d. 1, n. 262, gaudere accessione temporis antecessorum suorum, ut ab aliqua conditione, seu onere in fundatione requisito liberetur, eamque libertatem bona fide illos possedisse in dubio præsumendum, juxta regul. 24 *Juris in 6*, ibi: « Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantie causam censetur habere; » et notavit Nav., lib. II, consil. 1, *De præscript.*, et in simili Covarr., regul. *Possessor.*, part. II, § 11, n. 6, corollario 4. Hactenus La Croix, *loc. cit.*

(18. Alii vero tenent oppositum, et signanter Felix Potestas, tom. I, part. II, n. 2335, dicens, sibi probabilius esse contra Tamburin. quod non possit dari præscriptio contra onus Missarum, quia, dicit, ex jure res pupillaris, durante statu pupillari, præscribi non potest. I. *Bonæ fidei*, juncta Gloss., verb. *Pupil.*, ff. *De acquir. rerum domin.*, et l. *Sicut in rem*, cod. *De præscription. triginta vel quadraginta annorum*. At qui animæ purgatorii, quoad suffragia eis debita, sunt pupillæ, quia sicuti pupilli ob defectum ætatis, ita animæ ob defectum status causam agere non valent. Unde sicuti negligentia, aut carentia tutoris non potest cadere in detrimentum pupilli, ita nec negligentia, aut carentia hæredum, etc., in detrimentum illarum animarum: adeoque contra eas non datur præscriptio. Nam præscriptio est introducta in penam negligentium jus proprium, l. *Ut perfectus* 2, *De annali exception.*, et c. *Vigilanti* 4, *De præscriptionibus*. Nulla autem negligentia imputari potest illis animabus, cum alia voce clamare non possint, nisi illa *Job*, cap. XIX: *Miseremini mei*, etc. Hactenus ille, *loc. cit.* Vide ibi.

(19. Et pro hac opinione facit id, quod refert Monacell., part. IV, *Suppl. ad tom. II*, n. 55, ibi: « Quidam testator mandavit suis executoribus, ut erigerent pro amore Dei, et remedio animæ sæ unam capellaniam, cum destinatione capellani, qui Missam singulo mane celebrare curaret. Fuit erecta

capellania cum assignatione congruæ dotis: at quia capellani pro tempore semel in hebdomada vacare consueverant, et sacrificium pro testatore applicare omiserant, delata causa ad sacram congregationem Conc., hæc in *Lucan.*, 18 Febr. 1762, declaravit, capellanum teneri applicare sacrificium pro fundatore, licet ipse id non expresserit, et condemnavit capellanos, seu rectores pro tempore, quod celebrare, et applicare sacrificium omiserunt: non obstante descriptione contraria facta in tabella, occasione visitationis Apostolicæ a centum annis circa. » Hæc ille.

(20. An capellanus, qui per annos 30, qualibet hebdomada legit ex errore tres Missas pro fundatore, putans ad tot teneri, si postea in fundatione inveniat, quod ad duas tantum sit obligatio, præscripserit contra se, et teneatur continuare celebrare tres qualibet hebdomada? Variant quoque doctores. Tamburinus enim, et Pasqualig., q. 4193, cum La Croix, *loc. cit.*, n. 853, docent, probabilius non præscripsisse contra se, adeoque non teneri, nisi ad duas Missas in fundatione impositas, quia, dicunt, nemo est, qui possideat contra se ipsum; præscriptio autem non inducitur sine possessione, juxta regul. 3 *Juris in 6*, ibi: « Sine possessione præscriptio non procedit; » tum quia actus per errorem gestus non nocet erranti, l. *Si per errorem*, ff. *De jurisdiction.*, adeoque, etc. Pellizarius autem, *loc. cit.*, n. 94, dicit talem capellanum teneri ad celebrandas tres, docetque posse contra capellanos præscribi spatio decem annorum, et contra regulares exigi triginta annos. Ergo vero dicerem, talem capellanum præscribere contra se, et teneri ad tres Missas, in sententia illorum, qui tenent posse capellanum præscribere contra onus, et numerum Missarum: et e contra non præscribere contra se, in sententia illorum, qui docent non posse capellanum præscribere contra onus, et numerum Missarum. Id suadet hæc ratio, quia qui sentit commodum, sentire etiam debet onus, et e contra, l. *Si merces* 23, § 6, ff. *Locati*, cap. *Qui sentit* 55, *De regul. juris in 6*, ibi: « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra; » et leges permittentes, ut Caius, v. g., præscribat contra Sempronium, permittunt quoque, ut Sempronius præscribat contra Caium: contrariorum enim eadem est ratio, et disciplina, l. 1, ff. *De his qui sui, vel alieni juris*. Et sic sentire videtur Felix Potestas, tom. I, part. II, cit. n. 2346, et Gobat, *loc. cit.*, num. 516, quamvis concludat nihil se determinare in hac re, et materia neglecta fere ab aliis.

(21. Item præscribi non possunt nec in totum, nec in partem res publicis usibus deputatæ, ut via publicæ, pontes, plateæ, fora, theatra, et hujusmodi. *Communis* per text. in l. *Usucapionem* 9, ff. *De usurpat. et usucapionibus*, et l. *Præscriptio* 7, cod. *De operib. publ.* Et ratio clara est, quia hujusmodi res publicæ, utpote omnibus communes, a privatis non possidentur, sed promiscue usurvantur, l. 1, § final. *De acqui-*

ren. possession. Sine possessione autem non procedit præscriptio, ut expresse cavetur in reg. 3 *Juris in 6*, ibi: « Sine possessione præscriptio non procedit. » Et hoc procedit, etiamsi populus iis uti desiderit, ut expresse cavetur, in l. 2, ff. *De viis public. et itineribus public.*, ibi: « Viam publicam populus non utendo amittere non potest; » etiam si centum annis per ipsam non iverit, prout subjungit Glossa *Unica*, ib., communiter recepta, asserens hoc contingere favore publicæ utilitatis.

(22. Item præscribi non possunt limites, seu termini provinciarum, diocesium, et parochiarum, vel finibus cohærentia; dummodo constet tales fines fuisse legitima auctoritate præfixos, et constitutos. *Communis*, textu expresso, in cap. *Super eo* 3, *De parochis*, cap. *Quicunque* 4, caus. 16, qu. 4, ubi et hujus ratio redditur: « Ne provinciarum termini confundantur; » et concordant cap. *Licet* 5, cap. *Inter memoratos* 6, cap. *Dilectio tua* 7, ead. caus. 16, et q. 4. (23. Si autem non constet tales fines fuisse legitima auctoritate præfixos, et constitutos, tunc procedit, et valet præscriptio: Abbas, in c. cap. *Super eo*, n. 2; Engel., l. II *Decret.*, tit. 26, § 2, n. 8; Reiffenstuel *ib.* n. 43 et alii passim. Sicut etiam procedit, et valet præscriptio in litibus prædiorum, qui privata auctoritate, ac conventione præfiguntur, et constituuntur; isti enim limites præscribuntur spatio quadraginta annorum. *Communis*, textu expresso in c. *Quia judicante* 7, *De præscriptionibus*, cum similibus.

(24. Item res indivisim communes pluribus præscribi non possunt ab aliquo sociorum, etiamsi longissimo tempore eas detinuerit, sed cæteris sociis semper tenebitur dare suam portionem, quia non suotantum, sed omnium sociorum, seu cohæredum nomine rem, seu hæreditatem communem possidere dicitur. *Communis*, per textum, in l. *Si communem*, 10, ff. *Quemadmodum servitutes amittantur*.

(25. Item præscribi non possunt res pupillares. *Communis*, per textum, in l. *Bonæ fidei*, juncta verb. *Pupilli*, ff. *De acquir. rer. domin.* Contra ætatem enim pupillarem non currit præscriptio. l. *Sicut in rem*, cod. *De præscript. 30 vel 40 annor.* * Ratio est, quia nihil sine tutoris auctoritate agere possunt, multoque minus alienare. Cujacius tamen observat. 24, 14, putat hoc intelligendum esse de rebus duntaxat immobilibus. Res autem pupillarum mobiles posse usucapi, eo quia res pupilli desinit esse furtiva cum in potestatem tutoris rediit, de quo frustra quæreretur, si ex eo solo, quod res pupilli esset, non posset usucapi. Quoad res immobiles autem, generaliter non pupillarum solum, sed nec minorum prædia usucapi non posse dicendum est, cum alienatio eorum nisi ex decreto non permittatur. Quod tamen sic intelligendum, nisi vivo defuncto cepta fuerit usucapio *.

(26. Item præscribi non possunt res dotales, nisi præscriptio, antequam res dotales ellicerentur, ineboata fuerit. *Communis*,

textu expresso, in l. *Si fundum* 16, ff. *De fundo dotali*.

(27. Item præscribi non possunt res meræ facultatis, seu gratuitæ voluntatis. *Communis*. Sic enim desumitur ex l. 2, ff. *De via publ. et itin. public.*, ubi dicitur, quod « viam publicam populus non utendo, amittere non potest; » etiamsi centum annis per ipsam non iverit, ut addit Glossa *Unica*, *ibid.* Unde si quis etiam per centum annos, et ultra, iverit ad certum molendinum, vel ad certum furnum, seu ad certam officinam pro suis respectivis indigentis; vel si quis domum suam hactenus nunquam altius ædificaverit, non tamen vi præscriptionis cogi potest, ut deinceps dictum molendinum, furnum, officinam frequentet, seu quod altius domum suam non ædificet; quia in facultativis non datur præscriptio. (28. Excipite tamen casus, in quibus domino molendini, furni, et officinæ jus hujusmodi quæsitum fuerit contra suos vassallos, sive subditos, ex eo quod ex consuetudine jam antea vigente, vel privilegio saltem comarato, sicque bona fide prohibuerit suis subditis, ne frequentarent alia molendina, alios furnos, et alias officinas, et ipsi prohibitioni sic interpositæ acquieverint, quia tunc etiam ea, quæ meræ facultatis sunt, præscribi possunt; sicuti esset etiam de eo, qui prohibitus a vicino, ne domum suam altius ædificasset, ab ædificando destiterit, et mandato, ne ædificaret, obtemperaverit; tunc enim locum potest habere præscriptio incipiens a die factæ prohibitionis. Sic Abbas in cap. *Significante*, *De appell.*, n. 1; Covarr., in reg. *Possessor.*, part. II, § 4, n. 7, allegans plurimos alios; Pirhing, lib. II, *Decret.*, tit. 26, n. 17; Reiffenst., *ibid.*, n. 39; Engel, *ibid.*, n. 9, et alii passim.

(29. Item præscribi non possunt res reservatæ supremo principi in signum absoluti et supremi domini, v. g. præstatio tributi, et hujusmodi. *Communis*, textu expresso, in l. *Comp.*, cod. *De præscr. 30 vel 40 annor.*

* Item nec res fisci possunt usucapi, aut longo tempore præscribi, l. 2, cod. eod., *De usucap.* Hoc tamen non porrigit ad bona vacantia, quæ nondum fisco nuntiata sunt, l. 18, ff. *De usurpat.*

(30. Item præscribi non potest precarium, commodatum, pignus, conductum, depositum, et quælibet res emphyteutica. *Communis*, per textum in l. *Cum notissimi* 7, § 6, cod. *De præscription. 30 vel 40 annorum*. Et ratio clara est, quia talia alieno nomine possidentur; alieno autem nomine possidens, non præscribit, nam is possidet, cujus nomine possidetur, cap. *Si diligenti* 17, *De præscriptionibus*.

(31. Item præscribi non possunt res furtivæ, vel vi possessæ, non tantum a fure ipso, quia malæ fidei est, sed nec a quocunque bonæ fidei possessore, qui forte illas a fure, vel a tertio emit, vel alio quocunque justo titulo accepit, et possedit. *Communis*, per text. in § *Furtivæ*; et *ibid.* Glossa, verb. *Vi*, institut. *De usucap.*, l. *Sciens* 7, cod. *De usucap. pro emptore*, l. *Vitia* 11, cod. *De*

acquirend. possess., ubi expresse habetur, quod « vitia possessionum a majoribus contracta perdurant, et successorem auctoris sui culpa comitatur. »

(32. Intellige vero, quod tales res furtivæ, et vi possessæ non possunt præscribi tempore ordinario trium, decem vel viginti annorum: altamen præscribi possunt tempore extraordinario, seu longissimo triginta, vel quadraginta annorum, si tanto tempore bona fide possessæ fuerint, quia per præscriptionem longissimi temporis purgatur vitium furti, vel violentiæ, quo affecta erat res, et omnis actio exstinguitur: l. *Sicut 3*, et l. *Omnes 4*, cod. *De præscr. 30 vel 40 annorum*. Et sic tenet communis doctorum.

(33. Intellige etiam, nisi res furtiva, vel vi possessa in potestatem domini sui redierit, quia tunc, vitio purgato, ab alio bonæ fidei possessore præscribi potest tempore ordinario, § *Aliquando*, institut. *De usucap.*, etc., l. *Sciens 7*, cod. *De usucap. pro tempore*.

(34. Item regulariter præscribi, seu usucapi non possunt res, quæ alienari nequeunt arg. l. *Alienationis 26*, ff. *De verb. signific. ibi*: « Alienationis verbum etiam usucapionem continet; vix est enim, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi. » Hinc prohibita alienatione, hoc ipso saltem tacite censetur prohibita usucapio, l. *Si fundum 19*, ff. *De fundo dotali*, et l. *Bonæ fidei 48*, ff. *De acquirend. rerum. domin.* Deficit enim in his plerumque justus titulus ex defectu justæ alienationis, concurruntque error juris, qui non prodest ad usucapionem, seu præscriptionem; l. *Nunquam 31*, ff. *De usurpat. et usucap.*, et cap. 2, *De rebus eccles. non alienand. in 6*.

(35. Præscriptio induci nunquam potest adversus jus divinum; raro autem adversus jus commune ecclesiasticum. Bened. XIV, tom. II constitut. incip. *Declarasti*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. De rebus, quæ tum jure civili, tum jure canonico præscribi nequeunt, agere nimum esset. Consule, si lubet, Dunod. *De præscript.*, part. 1, cap. 11 per tot. (37. Tantum hic disseremus, et quidem breviter, de rebus aliquibus, quæ præscribi jure canonico haud possunt.

(38. Huc I. Pertinent decimæ, maxime respectu laicorum, qui eas contra Ecclesiam præscribere nullo pacto possunt, « quia, » ait Pontifex, in cap. 7, *De præscript.*, « cum laici decimas delinere non possint, eas nulla valent præscribere ratione. » Confer etiam cap. 15, 17, 19, *De decim.*

(39. II. Bona mensalia. Jam in *Addition.* ad verbum ALIENATIO, articul. 1. num. 3, tradidimus distinctionem bona communia Ecclesiæ inter, et bona mensalia ejusdem. Præscribi autem non posse bona mensalia utpote speciali fundatione destinata ad sustentationem illorum, qui Ecclesiæ inseruiunt, et ita officio sacro connexa. probant Bohem. in *Decretal.*, lib. II, titul. 26, § 25 et sequentib.; Lyncker, respons. 2,

num. 157, contradicentibus licet Bruneman., *Jur. Eccles. univers.*, l. II, cap. 11, fere per tot.; Horn., in *Consult. et respons.*, class. 1, num. 21.

(40. III. Quæ ad curam animarum spectant, et ea quæ ordinis sunt utpote quæ commercio civili prorsus exempta sunt: Lyncker., respon. 75, num. 32. (41. Tolli itaque præscriptione nequit visitatio ecclesiastica, quæ officio sacro intime cohæret, et ex cura animarum fluit, cap. 16, *De præscript.* Adi etiam Fritsch., *De jure visitand.*, cap. 3 in fin. (42. Quin nec præcurationes præscriptione tolli possunt, idque quia, cum eæ debeantur ratione visitationis, præscriptione tolli nequeunt, sicuti tolli ipsa visitatio nequit; d. c. 1, *De præscript.* Vide quoque Bruneman., *Jur. eccl.*, lib. II, cap. 9, § 11, et Stryk., in *notis. Vide Addit. Casin.*, sub verb. PROCURATIO.

(43. IV. Jurisdictio ecclesiastica respectu laicorum. Præscriptio enim sine possessione haud procedit: laici autem possidere nequeunt jurisdictionem ecclesiasticam, et sic præscribere eam nequeunt. Consule Spere!! decis. 2, num. 126.

(44. V. Debita jurata secundum Pacion., in *Select. allegat. canon. et civil.*, allegat. 28, in fin. Seraphin., *De privileg. jurament.* 47, fere per tot., ex ea ratione, quod juramentum inducat moram ipso jure, et instar interpellationis sit. Sed refutant opinionem hanc de debitis juratis, et quidem recte, cardinal. de Luca, discurs. 129, num. 2; Cyriac., controvers. 618, num. 35 et seq.

(45. Affert et auctor res alias, quæ jure canonico præscribi haud possunt. Sed non inutilis est inquisitio, an hæ res ut a præscriptione longissimi temporis eximuntur, ita immunes sint a præscriptione immemorabili, vel centenaria? Confer omnino Bohemer., in *Decretal.*, lib. II, tit. 26, § 6, 35, et plur. sequent.

§ II.

Bona fides.

Quoad ea quæ concernunt bonam fidem ad præscriptionem requisitam.

(1. Bona fides in proposito est *sincera rei alienæ ignorantia*, seu illa dicitur bona fides, qua quis probabiliter et prudenter existimat rem, quam possidet, ad se pertinere, vel saltem alienam esse non cognoscit. Unde Glossa, in cap. *Si diligenter 17*, *De præscriptionibus*, verb. *Bona fides*, expresse dicit: « Bona fides intelligitur, cum aliquis credit tradentem esse dominum, vel habere jus distrahendi, licet erret in facto, l. *Bonæ fidei emptor 109*, *De verb. significat.*, ibi: « Bonæ fidei emptor esse videtur, qui ignoravit eam rem esse alienam, aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habere. »

(2. Mala autem fide possidere dicitur, qui scit, vel credit rem, quam possidet, alienam esse, vel non esse suam. Sic in re *Communis*.

(3. Jure civili Cæsareo in præscriptione longi temporis bona fides requiritur solum ab initio ad inchoandam præscriptionem; l.

Unica, et ibi Glossa, verb. *Ab initio*, cod. *De usucap. transformand.* (4. Unde secundum jus civile præscriptio cœpta per defunctum bona fide continuari, et compleri potest ab hærede, quamvis ipse sit in mala fide, et sciat rem esse alienam: cit. l. *Unica*, et § *Diutina*, institut. *De usucap.* Imo secundum jus civile, in præscriptione longissimi temporis 30 vel 40 ann., nullo tempore, nequidem ab initio, requiritur bona fides, adeo ut quamvis præscriptor malam fidem habuerit ab initio, si tamen rem alienam tali longissimo tempore possedit, eam sibi præscriptione acquisivit, atque adversus dominum petentem, et requirentem talem rem, exceptione tutus est, et hoc statutum est ob odium domini res suas petere negligentis, l. *Si quis emptiois*, § *Quod si quis*, cod. *De præscription. 30 vel 40 annorum*.

(6. Jure tamen canonico ad legitimam præscriptionem omnino requiritur bona fides, adeo ut nec in foro canonico, nec in foro civili valeat præscriptio cum mala fide. *Communis*, textu expresse in cap. *Vigilanti 5*, et cap. *Quoniam 20*, *De præscriptionibus*, ubi in concilio generali Lateranensi sub Innocentio III, sic decisum expresse refertur: « Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio definitum ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. » Unde in c. *Possessor 2*, *De regul. juris in 6*, expresse cavetur quod « possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

(7. Et talis bona fides requiritur, quod intersit toto illo tempore, quo currit præscriptio. *Communis*, textu expresse in cit. cap. *Quoniam 20*, *De præscriptionibus*, ibi: « Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat notitiam alienæ. »

(8. Leges enim civiles adductæ *supra*, num. 3, ad 5, aliter disponentes, tanquam nutritivæ peccati (eo quod homines ob desiderium præscribendi animarent ad continuandam injustam rei alienæ possessionem) fuerunt a jure canonico correctæ, et abrogatæ, in cit. cap. *Vigilanti 5*, et in cit. cap. *Quoniam 20*, *De præscriptionibus*, ibi: « Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. » (9. Et hæc juris canonici dispositio est impræsentiarum observanda, et de facto observatur in utroque foro, tam civili, quam canonico, juxta definitionem concilii generalis, in cit. cap. *Quoniam 20*, *De præscriptionibus*, ibi: « Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. »

(10. Hinc possessor malæ fidei, quamvis per centum, et mille annos possederit rem alienam, nunquam poterit eam præscribere. *Communis*, textu expresse, in cit. cap. *Vigilanti 5*, *De præscriptionibus*, ibi: « Vigilanti studio cavendum est, ne malæ fidei possessores simus in prædiis alienis, quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat

aliquem malæ fidei possessorem; » et c. *Possessor 2*, *De regul. juris in 6*, ibi: « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

(11. Imo mala fides possessoris nocet etiam suo hæredi immediato, adeo ut, si defunctus fuerat possessor malæ fidei, tunc hæres ejus immediatus non potest ullo tempore rem a defuncto mala fide possessam præscribere, quamvis eam bona fide habeat, et velit a se ipso præscriptionem inchoare. *Communis*, per textum, in l. *Ultim.* cod. *Communia*, *De usucapionibus*, leg. *Cum hæres*, ff. *De diversis, et temporal. præscriptionibus*, et § *Diutina*, institut. *De usucapionibus*.

(12. Rem autem mala fide a defuncto possessam, licet non possit ullo tempore præscribere hæres immediatus; potest tamen ipsam præscribere tempore ordinario hæres medius, id est hæres primi hæredis; dummodo talis hæres medius bona fide rem possidens incipiat præscriptionem, computando solum tempus quo ipse possedit, et non connumerando tempus, quo possedit suus antecessor, seu hæres immediatus. Pirrhing., l. II *Decret.*, tit. 26, num. 70; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 133; Covarruv., part. II, in regul. *Possessor.*, § 3, num. 7; Lessius, l. II, c. 6, num. 43, et alii passim. Et ratio disparitatis inter hæredem immediatum, et mediatum est, quia hæres immediatus representat omnino personam defuncti, imo censetur una, et eadem persona cum defuncto, authent. *De jurejurando a moriente præstilo*, adeoque censetur fictione juris habere eandem malam fidem; non sic autem hæres medius, seu hæres hæredis, quia cum ipse non censeatur una, et eadem persona cum tali primo defuncto, nec etiam censetur habere eandem malam fidem fictam fictione juris: fictio enim non parit fictionem.

(13. Et tanto magis potest ipsam tempore ordinario præscribere successor singularis, v. gr. donatarius, emptor, cui primus hæres rem hujusmodi bona fide donavit, vel vendidit. Ipse enim successor singularis nullo modo personam defuncti representat. *Communis*, textu expresse, in § *Sed tamen*, instit. *De usucapion.*

(14. Item successor in dignitate, beneficio, vel officio potest cum bona fide præscribere rem a defuncto, vel antecessore suo habitam, dummodo solum computet tempus, quo ipse bona fide possedit. Gloss., in c. *De quarta*, verb. *Se posse tueri*, *De præscript.*; Abbas, *ibid.*, num. 9; Felinus, *ibid.*, num. 14; Covarruv., *loc. cit.*, num. 7; Pirrhing., *loc. cit.*, num. 72; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 140, et alii passim. Et ratio clara est, quia talis successor non possidet dignitatem, beneficium, vel officium jure sui antecessoris, sed jure sibi tributo a legitimo collatore, adeoque mala fides antecessoris non potest nocere suæ bonæ fidei, sicque ipse sine dubio potest præscribere rem a se bona fide possessam.

(15. Dubitans, num res sit sua, nec ne? si cum tali dubio incipit rem possidere, non

censetur habere bonam fidem, ideoque, stante illo dubio, nequit præscriptionem inchoare. *Communis*. Et ratio est evidens, quia incipiens possidere rem cum dubio, an sit sua, vel alterius, injuste, et inique agit rem sibi arrogando; cum non sit melior ipsius conditio, quam alterius, qui eam rem prius possederat; sed e contra melior fuerit conditio istius, ut pote conditio possessoris, quæ semper melior est: c. *Ad aures* 6, De præscriptionibus, c. *Quod autem* 5, De jurepatron., c. *In pari* 65, De regul. juris in 6, l. *Nemo* 126, § 2, et l. *In pari causa* 128, ff. *De regul. juris*. Cum injustitia autem, malitia, seu peccato non stat bona fides, qualis requiritur ad præscriptionem; ergo, ut incipiat præscriptionem, requiritur, ut is determinate judicet rem, quam incipit possidere, vel esse nullius, sive fieri suam per occupationem; vel probabiliter judicet habere jus illam sibi arrogandi, et possidendi.

(16. Si autem tale dubium superveniat post præscriptionem bona fide jam inceptam, tunc dubitans potest continuare rem possidere, et perficere præscriptionem; dummodo interim debitam diligentiam adhibeat ad investigandum, an res sit vere sua, vel aliena? *Communis* per text., in c. *Si virgo* 5, caus. 34, qu. 1, ubi de talibus bona fide possessionem inchoantibus expresse dicitur: « Tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quandiu se possidere ignorat alienum, » et per text. in c. *Quoniam* 20, De præscript., ubi solum requiritur ad continuandam præscriptionem, ut possessor in nulla temporis parte ad præscribendum constituta, habeat conscientiam rei alienæ, ibi: « Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. » Tum quia, ut expresse dicitur in cap. *Ad aures* 6, De præscriptionibus: « De jure melior est conditio possidentis, » uti consimiliter dicitur etiam in aliis citatis juribus, num. antecedenti, adeoque, qui postquam cepit bona fide rem possidere, dubitat an sua sit, potest continuare possessionem, sicutque tempore ordinario præscribere; dummodo, ut dicebatur in conclusione, adhibeat moralem diligentiam ad investigandam veritatem, an res sit sua, vel alterius: in tali enim casu præsumptio stat pro possessore, arg. *Citatis juribus*, et cap. *Occidit* 14, caus. 23, qu. 8.

(17. Ignorantia juris clari, et indubitati impedit bonam fidem, et præscriptionem, in utroque foro, etiamsi sit invincibilis, seu inculcata; sic fere communis doctorum sententia cum Glossa in c. *Apostolicæ*, verb. *Præscriptionis*, De donationibus; Abbas, in c. *De quarta*, n. 12, De præscriptionibus; Covarruv., in *Regula possessor.* part. II, § 9, num. 8; Layman, lib. III *Theolog. moral.*, sect. 5, tr. 1, cap. 8, num. 11; Lessius, l. II, *Decretal.*, tit. 26, num. 15; Pirrhing, *ibid.*, num. 62; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 68 et seq., et alii passim, contra paucos arbitantes ignorantiam inculpatam juris sufficere ad præscribendum pro foro conscien-

tia. Et ratio nostræ conclusionis est, quia præscriptio, per quam aliquis amittit dominium rei suæ, et alius illud acquirit, est introducta jure positivo humano præter jus naturæ, ergo non habet locum in casu, ubi jura positiva humana expresse statuunt errorem juris non prodesse ad præscriptionem, seu usucapionem, ut clare patet in l. *Nunquam*, ff. *De usucapionibus*, ibi: « Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest. » Item l. II, § *Si a pupillo*, ff. *Pro emptore*, ibi: « Si a pupillo emeris, et scias pupillum esse, putas tamen pupillo licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli prodest. » Item l. IV, ff. *De juris et facti ignorantia*, ibi: « Juris ignorantia usucapioni negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat. » Tum quia errans in jure præsumitur malam fidem habere, l. *Quemadmodum*, cod. *De agrig. et censit.*, ibi: « Malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur, » cap. *Qui mercatur* 82, De regul. juris in 6, ibi: « Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. » Possessor autem malæ fidei ullo tempore non præscribit, textu expresso in cap. *Possessor*, De regul. juris in 6.

(18. Nec valet dicere, quod sicuti ignorantia inculcata juris excusat a peccato, ita potest constituere possidentem in bona fide sufficiente ad præscriptionem. Non valet, inquam, quia licet talis ignorantia inculcata sufficiat ad constituendum possidentem in bona fide theologice, seu moraliter excludente peccatum, non sufficit tamen ad constituendum ipsum in bona fide civiliter, seu juridice necessaria ad inducendam præscriptionem, ex eo quod a jure expresse reprobetur in ordine ad effectum præscriptionis; quamvis enim ad inducendam præscriptionem requiratur necessario semper bona fides theologice, seu moraliter, non sufficit tamen de se sola, nisi concurrat etiam simul bona fides civiliter, seu juridice, quia, ut diximus, jura positiva humana, a quibus præscriptio suam originem, et totam vim habet, expresse statuerunt, quod error juris ad præscriptionem, seu usucapionem non prosit, ut patet ex citatis legibus, n. antecedenti.

(19. Probabile autem est secundum aliquos, quod ignorantia juris invincibilis non impediatur in foro conscientia bonam fidem requisitam, et sufficientem ad legitime præscribendum. Sic Lessius, *loc. cit.*, n. 17; Lugo, *De justit. et jur.*, disp. 7, sect. 3, num. 32; Medina, in tract. *De contractibus*, quæst. 17 prope finem; Castropal., in cit. p. 22, § 8, n. 7, et alii. Et ratio est, quia jura ideo negant cum ignorantia juris præscribi posse, quia non præsumunt bonam fidem in possidente, cum possidens contra jura clara manifesta, et indubitata ordinario præsumatur mala fide possidere ut patet ex cit. l. *Quemadmodum*, cod. *De agricol. et censit.*, ibi: « Malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra

legum interdicta mercatur; » et cit. c. *Qui contra* 82, De reg. juris in 6, ibi: « Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere: » ergo cum in foro conscientia, in quo de veritate, et de bona fide constat, cesset dicta præsumptio juris, ignorantia juris invincibilis et inculcata non impedit præscriptionem.

(20. Ignorantia juris dubii, et inter doctores controversi, non impedit bonam fidem requisitam, et sufficientem ad legitime præscriptionem. Abbas, in cap. *De quarta*, num. 12, De præscriptionibus; Covarruv., *loc. cit.*, § 7, n. 19; Lessius, *loc. cit.*, num. 16; Layman, *loc. cit.*, num. 11; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 60; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 77, et alii. Et ratio est, quia ipsa ambiguitas juris, circa quod sunt diversæ doctorum sententia, utramque partem facit probabilem, ita ut utramvis prudenter in praxi sequi quis possit: ergo non impedit bonam fidem requisitam, et sufficientem ad legitime præscriptionem. Videatur hac de re Angelus Fransoja.

E. R. Cum principium, cui consequentia innititur, claudicat; scilicet posse quemquam in praxi sequi utramvis partem probabilem; claudicabit etiam consequentia, nempe posse aliquem præscribere cum ignorantia dubii juris, et inter doctores controversi.

(21. Ignorantia facti, si sit invincibilis, non impedit bonam fidem requisitam ad legitime præscribendum: *Communis*, textu expresso in l. 4, ff. *De juris et facti ignorantia*, ibi: « Juris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat; » ignorantia enim, seu error invincibilis facti, sicuti excusat a culpa, ita constituit possessorem in bona fide ad legitime præscribendum: si quis enim acceperit rem a fure, ignorans invincibiliter esse furem, durante tali invincibili ignorantia, seu errore, bona fide possidet rem alienam, eamque sic possidendo præscribit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. De eo, utrum dubitans sit in bona, an in mala fide; tum an error juris excludat malam fidem, consule Dunod, *De præscript.*, part. I, cap. 8, sub initium.

(23. Hic vero ea non est omittenda investigatio, an doctrina juris canonici de bona fide, locum etiam sibi vindicet in præscriptione actionum maxime personalium? Affirmant inter alios Lincker., in *Præscript. tam jur. civil. quam canon.*, thes. 24 et seq.; Stryk., *De act. investigat.*, sect. 3, n. 1, axiom. 6, num. 3 et seq. Negant vero Coccejus, in dissert. 1, *De finib. bon. fid. in præscript.*, sect. 2, § 11; et sect. 3, per tot.; Franzk., lib. 3, resol. 13, fere per tot.; Rauchbar, part. II, quæst. 38, num. 23; Zanger., *De except.*, lib. III, cap. 20, n. 106, et seq. Adde etiam Dunod, *De præscript.*, dict. part. I, dict. cap. 8.

(24. Rectius meo judicio Bohemer., in *Decr.*, l. II, tit. 25, § 66 et seq.: « Neque,

inquit, malæ fidei definitio eis applicari potest, qui aliquid de suo debent, non vero rem alienam possident; alioquin dicendum foret, omnes omnino homines esse in mala fide, quia vix ullus reperitur, qui non de suo aliquid debeat. Audio, pergit, quidem objectionem. Aliud esse debere, et aliud æs alienum solvere nolle: illi notam malæ fidei aspergi non posse, bene tamen huic, cum sciat se debere, et tamen solvere differat. Verum, qui non solvit, aut interpellatus est ad solvendum, aut non. Priori casu præscriptionem interruptam esse concedo, quia negligens dici nequit, qui interpellavit debitorem. Sistitur hoc casu cursus præscriptionis, non quod per interpellationem mala fides proprie inducta sit, sed quod præscriptio fuit interrupta. Cæterum si non insistitur interpellationi, post interpellationem de novo currere incipit, et perficitur præscriptio, uti optime observavit Coccejus dissertat. *De finib. bon. fid. in præscript.*, sect. 2, § 12. Quod si dicamus per interpellationem malam fidem inductam esse, nullo tempore deinceps posset perfici præscriptio, quod tamen ex definitione malæ fidei elici nequit. Posteriori casu nullum plane indicium malæ fidei apparet, cum nequidem debitor solvere cogatur, qui haud interpellatur; imo qui tanto tempore haud exigit debitum, juste existimari potest debitum remisisse. » Confer eundem, l. c., § 64.

(25. An de jure canonico mala fides obstet etiam immemorabili, et centenaria, adi Dunod., *ubi supra*, qui et de hoc disserit, an communitas semel in mala fide existens, semper dicatur existere in mala fide.

§ III.

Sit titulus quoque justus.

Quoad ea quæ concernunt titulum ad præscriptionem requisitum.

(1. Ad legitime præscriptionem requiritur justus titulus. *Communis*, textu expresso in c. *Si diligenti* 17, De præscriptionibus, ibi: « Cum in præscriptione rerum ecclesiasticarum bona fides, et justus titulus exigatur, » et concordat cap. *Dudum* 31, De decimis. Item text. in l. *Ultima*, cod. *De usucapion. pro hærede*, ibi: « Usucapio, non præcedente vero titulo, procedere non potest, » et l. *Nulla*, cod. *De rei vindicat.*, ibi: « Nullo justo titulo præcedente, possidentes, ratio juris quærere dominium prohibet, » cum multis similibus.

(2. Titulus ad præscriptionem requisitus nihil est aliud, quam causa habilis ad transferendum dominium, vel ad præbandam usucapiendi conditionem. Sic in re communis doctorum. (3. Et hujusmodi titulus potest esse multiplex, scilicet, *donatio, emptio, permutatio, transactio, legatum, hæreditas, dos*, et similia, quibus si tradens rem sit ejus dominus, transfert dominium, si autem non sit dominus, præbet saltem usucapiendi conditionem.

(4. Hinc qui bona fide possidet rem alienam *pro donato, pro empto, pro transacto, pro hærede, pro legato, pro dote*, et hujusmo-